



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 3. Vtrum Anima Christi per scientiam infusam cognouerit cordium
cogitationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Qu. 11. De Scientia per se infusa Anima Christi. Art. 1. Dub. 2. 3. 77

3
Singularia
existentia
cognovit
intuitiue.

Ex his sequitur, Christi Animam per hanc scientiam intuitiue posse cognoscere queuis singularia actu existentia: omnesque eorum actiones internas & externas naturales, siue ad hoc necessariae sint species, siue non, vt rectè hic docet D. Thomas. Ratio est; Tum, quia Angeli possunt hæc intuitiue cognoscere, exceptis cordium cogitationibus: tum, quia hæc cognitio est necessaria ad perfectam prudentiam & prouidentiam, quæ uisatur circa singularem. Atqui in Christo est prudentia & prouidentia uniuersalis circa res omnes quæ sunt in mundo; omnia enim sunt ipsi subiecta. Psal. 8. & Matth. ultimo. Et ipse est omnium iudex.

DVBIVM II.

Utrum Christi Anima per hanc Scientiam cognoscat res supernaturales?

4
Cognovit
supernaturalia.

Respondeo; Cognoscere clarè & intuitiue omnes res supernaturales; siue substantia, siue modo solum tales sint: Excipio tamen diuinam essentiam. Itaque uidet omnia dona supernaturalia infusa, eorumque actus &c. Colligitur hoc ex D. Thom. & est communis DD. huius ætatis.

Probatur; Nam hæc cognitio est possibilis extra Verbum; estque valde consentanea, & quodammodo necessaria Christo: ergo hanc habet. Quod sit possibilis patet; quia hæc res omnes sunt creatæ & finitæ: ergo possunt per proprias species representari, uel per se ipsas immediatè (cùm sint spirituales, instar specierum intelligibilium) cùm intellectu concurrere. Vnde ex parte obiecti non est difficultas. Sed neque ex parte potentia: quia facile est Deo dare lumen creatum eiusdem ordinis, quo res istæ uideantur. Quod autem sit Christo debita, patet; quia ipse nobis omnium bonorum supernaturalium est auctor: Est enim *Auctor fidei & consummator*, ad Hebr. 12. v. 2: ergo non potest hæc dona ignorare.

5
1. Obiectio
soluitur.

Sed contra Obijcitur Primò, Gratia est participatio diuinæ naturæ: ergo non potest secundum essentiam cognosci, nisi cognita diuinæ naturæ, quæ solâ uisione beatificâ cognoscitur: ergo nec gratia sine hac cognosci potest.

Cognita
clarè gratia
non necessario
clarè cognoscitur
diuinæ
essentia.

Respondeo; Sufficit diuinam naturam cognosci confuso quodam modo, & cognitione abstractiua, vt clarè cognoscatur gratia. Ratio est; Quia gratia non habet ordinem ad diuinam naturam, vt ad causam intrinsecam; sed solum tamquam ad causam efficientem & exemplarem, quæ sit quodammodo eiusdem ordinis; cum qua, ipsa gratia magnam conuenientiam habeat. Talis autem participationis cognitio non pendet à cognitione formæ seu exemplaris, cuius est participatio: vt patet in lumine æeris, quod hoc modo est participatio lucis solaris; potest tamen secundum essentiam cognosci, etsi non cognoscatur clarè essentia lucis solaris. Idem dicendum de participatione reliquarum perfectionum diuinarum, Intellectus, Voluntatis, Sapientia, Charitatis, Iustitiæ &c. Et Confirmatur; Quia ad cognitionem imaginis, non est necessaria clara cognitio exemplaris; imago enim ducit in cognitionem exemplaris, non autem pendet ex illo eius cognitio.

Obijcitur Secundò, Saltem visio beatifica co-

gnosci non poterit, nisi simul cognita diuinâ essentia; quia immediatè ad eam tamquam presentem terminatur. Respondeo; Illam uisionem, etsi habeat essentialem respectum ad diuinam essentiam, tamquam ad obiectum præsens; tamen quia est res omnino distincta ab illa, & in sua specie finita, potest in se uideri, non uisâ essentia. Nec eius habitudo ad obiectum, ita pendet in cognitione ab obiecto, vt non possit sine obiecto uiso uideri; sufficit enim obiectum, in ea, tamquam in quadam sui imagine abstractiue cognosci. Quod confirmatur; Quia Angelus potest uidere uisionem oculi mei, non uiso eius obiecto. Similiter actus fidei & charitatis uideri possunt non uisâ obiectis, sed solum abstractiue cognitis.

2. Obiectio
soluitur.

Idem dic de
uisione
beatifica.

Vnde aduertendum est, Quomodo Beatum tripliciter uidere suam uisionem beatificam. Primò, Ipsâ uisione beatificâ, in Verbo, vt in causa. Secundò, Uisione eadem, quatenus ipsa concomitanter est uisio sui, seipsam menti manifestans: nam omnis actus intellectus perfectus, seipsum manifestat; eò quod implicite super se reflectatur. Sicut enim amans, eodem amore amat Deum, & uult amare, ita uidens, eodem actu uidet Deum, & uidet se uidere. Tertio, Potest eandem uisionem uidere actu distincto, per lumen scientiæ infusa. Nec opus est specie intelligibili: nam uisio ipsa beatifica est obiectum intelligibile intem præsens; ac proinde per se cum intellectu ualens cooperari. At uisionem beatificam quæ est in altero, potest uidere dupliciter: Primò, In Verbo. Secundò, In sua natura per scientiam infusam.

7
Triplaciter
beati uidet
suam bea-
tificam ui-
sionem.

Addo tamen hanc uisionem non posse comprehensiuè cognosci, nisi uisâ essentia. Quia habet perfectissimam & immediatam habitudinem ad diuinam essentiam, tamquam ad suum terminum; quæ habitudo, eò perfectius cognoscitur, quò perfectius cognoscitur eius essentia, vt est eius terminus. Idem ferè dicendum uidetur de unione hypostatica, qua parte est quiddam creatum in naturâ humanâ; non enim sine Verbi uisione potest comprehendi: eius tamen natura & ratio utrumque uidetur cognosci posse per scientiam infusam; quia est quid creatum, & in se finitum: Sicut color, & eius inexistencia in lapide pretioso, clarè cognosci potest, non cognita clarè naturâ subiecti. Nec obstat quod hæc unio non possit comprehendi etiam uisione beatificâ: quia hoc intelligendum, quatenus includit unione, quæ est ex parte Verbi, quæ comprehensiuè cognosci non potest; cùm à Verbo reipsâ non distinguitur.

8?
Nec uisio
beatifica
neque unio
hypostatica
comprehendi
possunt
non uisâ
essentiâ.

DVBIVM III.

Utrum Anima Christi per Scientiam infusam cognouerit cordium cogitationes?

Respondeo; Cognouisse clarè & intuitiue omnes cordium cogitationes, & omnes actus liberos internos & externos creaturarum, dum actu fierent. Est communis sententia Doctorum dist. 14. & D. Thomæ hic.

9
Cognouit
cordium
cogitationes.

Probatur; Quia hæc cognitio non est valde difficilis: nam ad cognoscendos actus liberos, & mentis arcana, non requiritur maius lumen aut perfectio ex parte potentia, quàm ad cognoscendum com-

G g iij , dum com-

dum comprehensivè substantiam, potestas, & habitus Angelorum & Animarum: Patet ex dictis in Prima parte; sed solum ex parte obiecti requiritur representatio illorum per species intelligibiles, quas Anima Christi facile poterat diuino munere accipere. Deinde, Hæc cognitio valdè erat consentanea & quodammodo debita Christo. Primò, Ob dignitatem Personæ. Secundò, Propter fidei prædicationem, quam sæpè confirmabat ostendendo se cognoscere aliorum cogitationes. Tertiò, Quia erat Caput & Iudex omnium, cuius intererat nosse omnium cogitationes. Vnde etiam nõ debebat in hoc dependere ab aliorum locutione, sicut Angeli.

Dices; Christus cognouit has cogitationes per scientiam beatificam; quid ergo opus est illas rursus per aliam scientiam cognoscere extra Verbum? Respondeo, Quia non solum debebat illas cognoscere vt Beatus, sed etiam vt degens cum hominibus, hominesque docens; vt supra dictum est.

DVBIVM IV.

Vtrum per hanc Scientiam cognouerit mysteria Diuinitatis?

10
Mysteria
Diuinitatis.

Respondeo; Eum per hanc scientiam cognouisse euidenter ea quæ ad diuinam naturam, & personarum distinctionem pertinent; non tamen intuitiue.

Vbi notandum est, quædam mysteria pertinere ad Deum, vt Vnus est; quædam, vt Trinus. Rursus, Quæ ad eum pertinent, vt Vnus est, sunt duplicia: quædam enim pertinent ad eum, vt est Auctor naturæ; vt, esse Vnum, Creatorem, Omnipotentem; & similia. Et hæc possunt cognosci ex rebus naturalibus, vt patet ad Romanos 1. vers. 20. Alia autem pertinent ad eum, vt est auctor gratiæ, & finis supernaturalis; vt, quod sit obiectum beatitudinis clarè visibile, quod sit auctor gratiæ & gloriæ. Et hæc cognoscuntur à Christo per effectus supernaturales, quos ipse per scientiam infusam perfectè & clarè intuebatur. Hoc tamen modo Angeli non cognoscunt Deum scientiâ naturali; quia non cognoscunt effectus supernaturales. Hæc cognitio est longè præstantior fide; quia est supernaturalis, & euidentis.

11
An cognouerit
Mysterium
Trinitatis.

Sed difficultas est: Quomodo per hanc scientiam cognouerit mysterium Trinitatis: non enim satis est vt cognouerit illud visione beatifica; quia oportebat vt etiam cognosceret illud, vt viator confors viatorum. Et Confirmatur; Quia aliqui, vt viator non potuisset amare & venerari singulas Personas distinctè, ipsique gratias agere: neque orare Patrem; nec instruere hominem de hoc mysterio. Latiùs quoque fides nostra se extendisset, quàm cognitio supernaturalis, quæ ei, loco fidei data erat.

Negatur de
solutiua
Abstracta.
Etiam quid
dicitur
cognitione.

Dicendum igitur est Primò, Eum non cognouisse Trinitatem intuitiue per hanc scientiam; quia intuitiua est beatifica. Secundò, Nec etiam abstractiue, cognoscendo quidditatem singularum Personarum: nam ad hanc videtur requiri lumen gloriæ; sicut & ad cognitionem diuinæ essentiæ abstractiuam. Nam eiusdem rationis est lumen, quo essentia aliqua perfectè cognoscitur cognitione abstractiua, & quo intuitiua; vt patet

in Angelis. Quòd si lumen scientiæ infusæ, non distinguatur à lumine gloriæ realiter, existimo non implicare, vt essentia diuina & personæ clarè & distinctè cognoscatur abstractiue, ita tamen vt per eandem cognitionem non cognoscantur intuitiue: quamuis existimem nemini talem cognitionem dari; quia est imperfecta in suo genere, quando lumen est præsens; & etiam superflua, cum visio abundè sufficiat.

Tertiò, Cognouit tamen hoc mysterium multis alijs modis per hanc scientiam infusam. Primò, Quia perfectissimè intelligebat Scripturas, & sensum à Spiritu sancto intentum; eratque ei euidentis eam esse diuinitus reuelatam: atqui in Scripturis continetur mysterium Trinitatis. Secundò, Euidenter cognoscebat naturam fidei & actuum eius: vnde etiam illi euidentis erat illam fundari in testimonio diuino, nec posse esse falsam: proinde euidenter cognoscebat quidquid per illam erat creditum esse verum. Sed hi duo modi continent euidentiam tantummodò in testimonio diuino. Tertiò, Christus per scientiam beatam euidenter cognoscebat Trinitatem; ac proinde per lumen naturale & infusum, non poterat hoc mysterium ignorare: quia quod intellectus altiori cognitione apprehendit, potest etiã inferiore sibi formare. Hinc ita erat illi euidentis mysterium Trinitatis, vt non posset ambigere, etiamsi per impossibile visio beatifica cessasset. Sicut alibi diximus de Paulo, qui si vidit diuinam essentiam in raptu, dum transijt illa visio retinuit nihilominus euidentem cognitionem huius mysterij ex vi prioris cognitionis, tamquam ex clara quadam experientia. Quarto, Probabile est Christum Dominum per scientiam infusam, potuisse euidenter cognoscere actum visionis beatificæ; ac proinde obiectum huius actus, scilicet mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Sicut Angelus, quia cognoscit actum internum alterius, etiã cognoscit illud esse verum, quod per illum actum indicatur, si in illo non possit esse error. Quintò, potuit Deus hoc mysterium immediatè reuelare Christi per quadam spiritualem locutionem, efficiendo vt perfectissimo modo per species infusæ ex analogia creaturarum illud apprehenderet: quam locutionem seu reuelationem Christus euidenter intuebatur, & cognoscebat esse diuinam, quamuis hic modus fortè necessarius non fuerit.

12
Affirmatur
de varijs
alijs modis.
1. Modus.

2. Modus.

3. Modus.

4. Modus.

5. Modus.

DVBIVM V.

Vtrum per hanc Scientiam cognoscat etiam futura contingentia.

Respondeo, cognoscere non solum quæ ex causis naturalibus, sed etiam quæ ex liberis pendent. Est communior sententia Doctorum. D. Thomæ hic, quamuis in 3. dist. 14. quæst. vniuersalis art. 3. tenuerit contrarium. Durandi dist. 14. q. 13. Scoti ibidem. Marsilij quæst. 10. art. 2. & passim omnium hoc tempore.

Probatur; quia ista cognitio potest haberi à viatore: vt patet in multis Prophetis, qui futura clariùs aut obscuriùs præuiderunt. Ergo consentaneum est, vt Christus tamquam viator, omnium futurorum euidentem prænotionem habuerit; præsertim cum hæc cognitio sit necessaria ad perfectissimam

13
Cognoscat
futura
libera.